



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

3 V. Christus primo resurrexit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

terminatus fuit in nocte: ultimus verò offusus à nocte est, & terminatus in die. Et ita hæc expositio non est contrario sententiæ Augustini, sed quædam maior explicatio eius. Atq; hunc etiam in modum intelligendus est Leo Papa in quibusdam verbis, quæ supra citauimus ex ferm. i. de Resurrect. vbi inquit, Nil de dierum numero deperdisse, & dum ad integrum secundum diem pars primi nouissima, & pariterq; prima concurrat. Quæ fere verba usurpans Anselm. Matth. 12. iuxta prædictum sensum illa explicat. Nam primus (inquit) dies à parte extrema annumeratus est: dies vero tertius à parte prima. Explicans verò has partes addit, Sextæ quidem feriæ diei partem, in qua sepultus est, cum nocte & die, noctem Dominicam cum eadem die illucescente pro toto similiter accipiens, habes triduum, & tres noctes. Et eandem sententiam late explicat Isidorus Peleus. Cas. Baron. Iulius Episc. 144. & Episc. 212. quem refert Cæsar Baronius tom. 1. Annal. anno 34.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus primo resurrexerit.

299.
4. d. 42. ar. 3.
q. 1. ad 3. Et
op. 3. ca. 24.
246 & 247
fi. Et. Co. 15.
le. 3. in pri.
ad Co. 1. le. 5.



tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus non primo resurrexerit. Nam in veteri Testamento per Heliam, & Heliseum aliqui resuscitati leguntur: secundum illud Hebræor. 11. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Similiter & Christus ante passionem suam tres mortuos suscitauit, non ergo Christus fuit primus resurgens.

3. Præterea. Matt. 27. inter alia miracula, quæ in passione Christi acciderunt, narratur, quod monumenta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Non ergo Christus fuit primus resurgens.

3. Præterea. Sicut Christus per suam resurrectionem est causa nostre resurrectionis: ita per suam gratiam est causa nostra gratiæ: secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Sed alij prius tempore gratiam habuerunt, quam Christus: sicut omnes Patres veteris Testamenti. Ergo etiam alij prius ad resurrectionem corporalem peruenerunt, quam Christus.

Sed contra est, quod dicitur 1. ad Cor. 15. Christus resurrexit à mortuis primitia dormientium. Gl. Quia prius tempore & dignitate surrexit.

Respondeo dicendum, quod resurrectio est reparatio à morte in vitam. Dupliciter autem aliquis eripitur à morte. Vno modo solum à morte in actu, ut scilicet aliquis viuere incipiat qualitercunque, postquam mortuus fuerat. Alio modo, ut aliquis liberetur non solum à morte, sed etiam à nequitate: & quod plus est, à possibilitate moriendi. Et hæc est vera & perfecta resurrectio: quia quando aliquis uiuit subiectus necessitati moriendi quodam modo mors ei dominatur: secundum illud Rom. 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum. Illud etiam quod possibile est esse, secundum quid dicitur esse, id est, potentialiter. Et sic patet, quod illa resurrectio, quæ eripitur solum ab actuali morte, est resurrectio imperfecta. Loquendo igitur de resurrectione perfecta, Christus est primus resurgens: quia ipse resurgens, primo peruenit ad vitam penitus immortalem, secundum illud Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur. Sed de resurrectione imperfecta quidam alij surrexerunt ante Christum, ad pramonstrandum quæ in quodam signo resurrectionem ipsius.

Et sic patet responsio ad primum: quia & isti qui suscitati in veteri Testamento sunt, & illi qui suscitati sunt à Christo, sic redeunt ad vitam, ut iterum moriantur.

Ad secundum dicendum, quod de illis qui resurrexerunt cum Christo, duplex est opinio: quidam enim asserunt, quod redeunt ad vitam tanquam non iterum morituri: quoniam magis illis esset tormentum si iterum morerentur, quam si non resurgerent. Et secundum hoc intelligendum erit, sicut Hieron. dicit super Matth. quod non ante resurrexerunt, quam resurgeret Dominus. Vnde & Euangelista dicit, quod exentes de monumentis, post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Sed Augustinus in Epistola ad Euodiam hanc opinionem commemorans dicit. Epi. 99. non scio quid usquam uideri morte Domini Christi iam talem resurrectionem præstitam iussu, qualis nobis in fine promittitur. Qui si non iterum reperiatur corporibus dormientibus: videndum est, quemodo intelligatur Christus primogenitus à mortuis: si enim in illa resurrectione tot præfessunt. Quod si respiciatur, hoc esse dictum per anticipationem, ut monumeta illo terramotu aperta intelligantur, cum Christus in cruce penderet, resurrexissent autem iustorum corpora non tunc, sed cum ille prior resurrexisset: illud adhuc refert quod moueat, quemodo Petrus non de Dauid, sed de Christo asseruit fuisse prædictum, carnem eius non uidisse corruptionem, per hoc quod apud eos erat monumentum Dauid: & sic illos non conuincetur, si corpus Dauid ibi iam non erat: quia etsi ante in recenti sua morte resurrexisset, nec caro eius uideret corruptionem, posset nihilominus illud monumentum manere.

Durum autem videtur, ut Dauid non fuerit in illa resurrectione iustorum si eius iam aterna donata est, cuius Christus ex femine commendatur. Periclitabitur etiam illud quod ad Hebræos de Iustis antiquis dicitur. Ne sine nobis constituatur, si iam in illa resurrectione in corruptione constitutus erat. circap. sum, quæ nobis perficiendis in fine promittitur. Si ergo Augustinus sentire videtur, quod resurrexerint iterum morituri. Ad quod etiam videtur pertinere & quod Hieron. dicit super Matth. Quod sicut Lazarus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem. Quamuis hoc in sermone de Assumptione sub dubio relinquitur, rationes tamen Augustini multo efficaciores videntur.

Ad tertium dicendum, quod sicut ea, quæ præcesserunt Christi aduentum, fuerunt preparatoria ad Christum: ita gratia est dispositio ad gloriam. Et ideo ea quæ sunt gloriæ sue quantum ad animam (sicut perfectio Dei fructus) sue quantum ad corpus (sicut resurrectio gloriosa) prius tempore debuerunt esse in Christo sicut in autore gloriæ: gratiam vero conueniebat prius esse in his, quæ ordinantur ad Christum.

COMMENTARIVS.

Titulus huius articuli (ut Caieta. notat) de prioritate durationis intelligendus est, hanc enim esse D. Tho. mentem ex argumento, Sed contra, & ex solutione ad 3. apertè colligitur.

Distinguit ergo D. Thomas duplicem resurrectionem, alteram imperfectam, quæ corpus mortuum renouatur ad vitam iterum moriturum, quæ merito imperfecta dicitur. Quia licet excludat mortem in actu: non tamen in potentia, & in actu, non perpetuo, sed ad tempus, neque omnino. Quia licet homo uiuat in vita mortali, quodammodo continuè moritur. Et hoc modo clarum est, non fuisse Christum dominum primum omnium resurgentium, Nam & in veteri testamento, & ab ipso met Christo alij prius excitati sunt, ut argumeto primo D. Tho. probat.

Altera est resurrectio perfecta, quæ omnino ac perpetuo tam in actu, quam in potentia mortem excludit: nam est ad vitam immortalem, & gloriosam.

Et

Et hoc modo ait D. Tho. Christum Dominum fuisse primum omnium resurgentium, quod in articulo amplius non probat. Nam licet afferat testimonium Pauli ad Rom. 6. dicentis, *Christus resurgens ex mortuis non moritur*: illo vero solum potest probari, resurrexisse Christum ad vitam immortalem: quod vero fuerit primus omnium, qui hoc modo surrexerunt, ibi non asseritur. Supponit ergo D. Tho. hoc esse satis probatum testimonio Pauli 1. ad Cor. 15. quod in argumēto, *Sed contra*, adduxerat, de quo plura statim dicemus. Rationē vero, seu congruentiam huius assertionis attulit D. Tho. in solut. ad 3. quæ valde notanda est. Et recte etiam explicatur ex his quæ supra diximus de statu animarum Sanctorum ante mortem Christi. Dixit ergo D. Thomas dona gratiæ debuissē prius tempore communicari alijs, quam Christo, quia erāt preparatoria ad Christum: dona autem gloriæ siue animæ, siue corporis, quia non dantur, dispositiones ad aliud, sed tanquam vltimum primum, & consequutio finis, debuissē prius esse in Christo, sicut in autore gloriæ. Quod intelligit, supposito originali lapsu, ut prædicto loco, & in priori tomo agentes de merito Christi explicuimus. Obiter etiam adnotari potest, ex hac ratione enervari aliam, quæ D. Thomas supra quæst. 27. art. 3. probare conatus est, fomitem non esse prius extinctū in Virgine, quam in carne Christi: & egregie confirmari, quod ibi nos diximus, illud nullum fuisse inconueniens: sed potius maxime conueniens. Quia illud donum non pertinet ad dona gloriæ, sed gratiæ, & ideo merito numeratur inter dona preparatoria ad Christum, ac propterea prius tempore esse potuisse in matre quam in filio.

Inquiri hoc loco potest, quam sit certa hac assertio D. Thom. Et quoniam totum fundamentum eius sumitur ex loco Pauli, explicandum simul erit, an sit hic sensus literalis, ac certus illius loci. Eest ratio dubij, quia Christus dici potest, *Primus resurgens*, seu *dormientium*, nō propter ordinem temporis: sed dignitatis, ac intentionis. Sicut etiam potest dici Christus ut homo primus creaturarum, & primus omnium videntium Deum, non quia ordine temporis alias creaturas, & Angelos antecesserit ut homo: sed quia in diuina voluntate, & intentione fuit primus: & similiter dignitate omnes antecedit. Vnde Ambr. lib. 5. Epist. 22. tractans prædictum locum Pauli, *Primus* (inquit) dicitur Christus, quia sanctior omnibus fructus, qui etiam ceteros consortes sui fructus sanctificauit, sicut ad Rom. 8. ait Paul. nos autem primitias spiritus habentes, id est perfectiores, & maiores Spiritus sancti gratias, & effectus. Quod alio simili loco confirmari potest ex Paulo ad Coloss. 1. vbi Christum appellat *Primogenitum omnis creature*, & *Primogenitum ex mortuis*. Dicitur autem *Primogenitus omnis creature* non ordine temporis. Quia sicut ex Concilio, & Patribus latē probauimus in priori tomo, Disp. 5. Sect. 2. ibi est sermo de Christo, ut homine, & ut sic, non est *Primogenitus temporis*, sed *honore*, (ut Hieron. dixit) ergo eodem modo, cum tam ibi, quam Apocalyp. 1. dicitur Christus *Primogenitus mortuorum*, id est ex mortuis, recte exponi potest, non tempore sed honore.

Aduertendum est dupliciter posse explicari hunc ordinem durationis, & temporis. Primo negatiue, quod scilicet nullus ante Christum resurrexerit ad vitam immortalem. Secundo positue, scilicet Christum ante omnes: & prius tempore surrexisse. Deinde considerandum est, non esse controuersiam de toto tempore ante Christi mortem. Nam hoc modo certissima fides est, neminem resurrexisse ad vitam immortalem ante Christi passionem, ac mortem: quia nemo resurgit hoc modo, nisi in statu gloriæ constitutus: ostendimus autē supra, neminem consequutum esse gloriam ante Christi mortem. Igitur solum superesse potest quæstio de illo tempore, quod

Fr. Suarez, com. 2.

fuit à Christi morte vsque ad eius resurrectionem. De quo duò dicenda sunt.

Primum est, certum, ac de fide videri, neminem ante Christum resurrexisse ad vitam immortalem. Hoc probatur ex prædicto loco Pauli. Primo, quia illum ita exponunt omnes Patres ibi, Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Ambro. Hieron. Anselm. D. Thom. acceteri tum Græci, tum Latini. Athanas. libr. de incarnatione, seu de humana natura à verbo suscepta, Damascen. lib. 4. de fide cap. vltim. Prosper de promissionibus & prædict. Dei par. 3. cap. 29. & Cyprian. sermo. de Resurr. Domini. Vnde qui opinati sunt eos, qui resurrexerunt tempore mortis Christi, resurrexisse ad vitam immortalem, consequenter dicunt, eorum resurrectionem per anticipationem referri inter signa facta in morte Christi, ut postea videbimus. Hinc verò colligitur, eos sensisse, & ut certum supposuisse, neminem ante Christum surrexisse ad vitam immortalem, propter testimonium Pauli. Secundo hic sensus colligitur ex vi ipsius vocis, *primus*. Nam illa vox sua proprietate non significat ordinem dignitatis, & intentionis: sed tantum durationis. Inter fructus enim terræ non dicuntur primitiæ, qui sunt perfectiores, vel præcipue intenti: sed qui prius nascuntur, & colliguntur. Ergo cum metaphora Pauli in hac proprietate fundetur, non vocat Christum *primus dormientium* propter dignitatē, sed propter ordinē durationis: ergo affirmat Christum esse primum resurgentium. Quod saltem negatiue necesse est verum esse, id est, ut nullus sit ante ipsum.

Tertio hunc sensum videtur satis explicuisse idem Paulus, cum post illa verba iterum subdit, *Vnusquisque autem in suo ordine primitia Christus: deinde hi, qui sunt Christi*. Vbi aperte explicat ordinē executionis, & illa particula, *deinde*, satis declarat priorem dictionem idem valere, quod *primus Christus*, deinde alij. Quocirca, cum in alijs locis dicitur Christus *Primogenitus mortuorum*, iuxta hunc locum explicandum est: præterquam quod ipsa vox *Primogeniti* propriè, & in rigore hoc significat, Vnde sicut ratione resurrectionis dicitur Christus *genitus à Patre* Act. 13. & Psalm. 2. ita ratione primæ resurrectionis immortalis dicitur *primogenitus*, sicut etiam ab omnibus Patribus supra citatis explicatur, & optime Aug. serm. 161. de tempore, & Athana. in quibusdam quæstionibus, quæ habentur in fin. lib. quæstionum ad Antioch. sub titulo. *Quomodo dicatur primogenitus mortuorum*. Amb. d. lib. 5. epist. 22. *Primogenitus* (inquit) ex mortuis dicitur, quia primus resurrexit. Quibus verbis alia supra citata explicuit. Imo vbi nos legimus ad Coloss. 1. *Qui est principium*, *primogenitus ex mortuis*, legunt Græci Chrysostom. & Theophylactus, *Qui est primitia*, & exponunt eodem modo esse primitias resurrectionis, quia primus resurrexit à mortuis, ut etiam Theod. intellexit. Neque obstant illa alia verba, *Primogenitus omnis creature*: Quia si intelligantur de Christo ut Deo, (ut multi etiam exponunt) aperte significant antecessorem durationis, imo, & æternitatis. Si vero exponantur de Christo ut homine, necessario exponuntur aliquo modo minus proprio, & quodammodo metaphorico, ratione prædestinationis, quia de duratione temporis intelligi nequeunt. Vbi autem non est necessaria metaphora, adhibenda nō est: maxime quia licet ad vocem *Primogeniti* accomodari aliquo modo posset, non tamen ad vocem *Primitiarum*, ut explicatum est.

Secundo dicendum est: non esse certum, sed in opinione, an Christus prius tempore resurrexerit ad vitam immortalem, quam omnes alij homines. Declaratur, & probatur, quia (ut statim videbimus) probabilis est opinio affirmans, nonnullos surrexisse cum Christo ad vitam immortalem, quæ sententiæ supposita, sine errore credi potest simul tenui.

Secundo dicendum est: non esse certum, sed in opinione, an Christus prius tempore resurrexerit ad vitam immortalem, quam omnes alij homines. Declaratur, & probatur, quia (ut statim videbimus) probabilis est opinio affirmans, nonnullos surrexisse cum Christo ad vitam immortalem, quæ sententiæ supposita, sine errore credi potest simul tenui.

Tt 3

potē

Responso
Deside est ne-
minem ante
Christum re-
surrexisse ad
vitam im-
mortalem.
1. Cor 15.
Chrysost.
Theod.
Theoph.
Oecumen.
Cyprian.

Christus pri-
mitia dormi-
entium quomo-
do.
1. Cor 15.

Act 13.
Psalm. 2.

August.
Athanas.

Ambro.

Coloss. 1.
Chrysostom.
Theophyl.

Theodor.

Dubium de his
qui cū Christi
surrexerunt.

Rom. 6.

1. Cor. 15.

D. Thom.

D. Thom.

Dubium.
Christus re-
surrexit em-
nia primus
quomodo.

Ambros.

Rom. 8.

Coloss. 1.

Hieron.
Apocal. 1.

pore illos cum Christo surrexisse. Quia nulla est ratio ad fingendam inter eos temporis successione. Sufficiens enim ordo naturæ & causalitatis. Christus enim resurgens fuit causa excitans alios: est autem causa perfecta, & alioqui effectus talis est ut in instanti possit fieri, ergo simul incipit talis effectus cum sua causa. Neque hoc repugnat loco Pauli. Nam ut Christus dicatur, *primus*, seu *primus resurgens*, satis est, quod nullus ante ipsum resurrexerit, & quod ipse prius natura resurrexerit, quam ceteri, ita ut licet eius resurrectio de facto non antecesserit duratione resurrectionem aliorum: tamen de se sit independens ab illis, alii verò ab ipso pendeant. Quid autem probabilius sit, in sequenti dubitatione dicemus.

Circa solutionem igitur ad 2. (an enim duas iam sunt explicatae) gravis & antiqua controuersia occurrit de illis, qui cum Christo surrexerunt: an resurrexerint iterum morituri, vel ad vitam immortalē. Supponendum est enim illos verè ac propriè resurrexisse. Ita enim simpliciter affirmat Matthæus, & verba Scripturæ in proprietate intelligenda sunt, sicut & intellexerunt omnes Sancti citandi, & maximè Iustinus, qui hoc sensu rectè dixit hanc fuisse perfectam resurrectionem, scilicet quoad substantiam. Dubium ergo est de statu. De quo duæ sunt sententia. Prima affirmat illos resurrexisse immortalē corpore & ad breue tempus. Hæc est sententia Aug. epist. 99. ad Euod. ubi varijs testimonijs, & coniecturis illam confirmat, eandem indicat Hieronym. Matth. 27. Nam exponens illa verba dicit. *Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem.* Quam expositionem confirmat epist. 15. e. ad Hedibiam q. 3. Item Chrysostom. homil. 89. in Matth. dicit, Christum sola voce mortuos excitasse, dum adhuc in cruce penderet: quod necesse est intelligi de resurrectione ad vitam mortalem. Nam (ut diximus) ad immortalē nemo ante Christum resurrexit. Vnde inferius illam resurrectionem comparat cum resurrectione Lazari, & dicit fuisse futuræ resurrectionis indicium. Quod apertius explicuit Theophylactus dicens, illos resurrexisse, cum adhuc Christus in cruce penderet, & apparuisse multis, & iterum mortuos fuisse, quia tantum resurrexerant signi gratia. Idem Euthymius cap. 67. in Matth. insinuat, Prosper de promissionibus & prædictionibus Dei. p. 3. cap. 29. Diuus Thomas hic, & eandem opinionem sequitur Scotus in 4. dist. 43. quaestio 2. articulus 1. Fundamenta huius sententiæ sunt. Primum, quia hi Sancti resurrexerunt ante Christum, ergo non potuerunt resurgere ad vitam immortalē. Antecedens patet ex enarratione Euangelistæ. Ponit enim hoc inter signa facta in morte Domini, ergo sicut alia sunt facta in ipsa morte, ita & hoc. Præsertim quia prius dicit Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & postea subdit, Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem.* Ergo indicat, resurrexisse quidem ante Christum: non tamen exiisse de monumentis, vel saltem non fuisse ingressos ciuitatem vsque ad resurrectionem Christi, ut videtur exponere Origen. super Matth. præter Chrysostomum & alios supra citatos. Sed hoc testimonium (ut etiam vidit Augustinus) non multum urget: quia rectè intelligitur per anticipationem. Cum enim Euangelista narraret prodigia facta in morte Christi, obiter omnia congescit, quauis non omnia eodem tempore sint gesta. Eo vel maxime, quod (ut Hieronymus aliique notant) hoc prodigium ex parte incipit in morte Christi: quia tunc reuerata fuere monumenta, quamuis corpora non surrexerint vsq. ad diem resurrectionis Christi. Quod fortasse diuina prouidentia factum est, ut illorum corporum resurrectio euidentior esset, quā prius

apertis monumentis mortua, atq. in eis iacentia conspici possent. Et potest hæc expositio ex eodem textu firmari. Nam hi sancti non resurrexerunt, nisi ut essent testes resurrectionis Christi, & redemptionis per ipsam consummata, & liberationis animarum à potestate demonis, peccati, & mortis: sed non erant reddituri hoc testimonium, donec Christus resurgeret (ut Euangelista testatur) ergo non oportuit eos ante resurgere. Item illa corpora non fuerant de sepulcris egressa ante Christi resurrectionem, ut apertè Matthæus testatur illis verbis, *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem.* (ita enim legendum diuidentumq. est, ut habent vulgata Latina & Græca, & expositores omnes) ergo non resurrexerunt, donec Christus resurrexit. Qui enim credibile est corpora illa iam viuificata mansisse in sepulcris quadraginta horis? Quocirca cōsulto videtur Euangelista addidisse hæc verba, *Et exeuntes*, & ut indicaret, illud prius verbum *surrexerunt*, positum esse per anticipationem.

Secundum fundamentum Augustini sumitur ex testimonio Petri Act. 2. ubi probat, verba illa Psalm. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, non posse intelligi de Rege David, quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Vbi necesse est eum loqui de monumento continente corpus David mortuum, & corruptum, alioqui nihil probaret: quia etsi monumentum David duraret, si tamen erat vacuum, non poterat ex eo probari, corpus David fuisse corruptum ergo corpus David non surrexit ad vitam immortalē, ergo nullum. Enimvero si cui concessum fuisset hoc beneficium, maxime Dauidi, viro sanctissimo, cui facta est singularis de Christo re-promissio. Sed neque hæc ratio, neque testimonium, in quo fundatur, admodum urget. Primum quidem, quia non est necessarium, Dauidem fuisse ex ijs, qui surrexerunt. Nam hæc extraordinaria priuilegia nō semper dantur propter maiorem sanctitatem, sed vel iuxta beneplacitum diuinæ voluntatis, vel propter alias speciales rationes, ut verbi gratia si fortasse resurrexerunt, qui singulari dono virginitalis, aut castitatis floruerunt, vel qui diutius in limbo morati fuerant, aut è cōuerso, qui nuper erant mortui, & poterant esse testes magis noti. Deinde ex verbis Petri non potest colligi corpus David fuisse in sepulcro, quando Petrus concionabatur: quin potius, qui contrariam tuerentur sententiam, eodem testimonio Petri vtuntur, quia videlicet non sine causa monumentum nominauit, & non corpus; significans monumentum vsque ad illud tempus mansisse, non tamen corpus. Adducit tamen monumentum in testimonium ac firmisimum argumentum, quia vsque ad illud fere tempus corpus David continuerat, & paulo antea in eo videre poterat corruptioni obnoxium.

Tertium fundamentum Augustini sumitur ex verbis Pauli ad Heb. 11. *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt re-promissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, ut non sine nobis consummarentur.* Nam si ad vitam immortalē iam resurrexerunt plenam re-promissionem animi & corporis acceperunt: sunt ergo sine nobis iam consummati. Ad hoc verò testimonium tribus modis responderet hic Caietan. Primo Paulum non loqui de resurrectione corporum: sed de gloria animæ, quam antiqui Patres non acceperunt in statu legis veteris, ad quem optimè referri possunt verba Pauli. Quam expositionem etiam D. Thom. super Paulum approbat Secundo quod licet demus loqui de resurrectione corporum, & regulam generalem tradere, scilicet, integram re-promissionem animæ, & corporis non dari vsque ad generalem resurrectionem, quæ etiā insinuat 1. Cor. 15. & alijs locis: nihilominus nō excludi specialia priuilegia, quod etiam D. Thom. super

Euglin.

August.

Hieron.

Chrysostom.

Theoph.

Euthym.
Proper.
D. Thom.
Scotus.

August.

Matth. 27.

Orig.
Chrysost.

Hieron.

Matth.

Fundam.

mentum

Aug.

Act. 22

Fundam.

mentum

Aug.

Hebr. 11

Caietan.

1 Cor. 15.

D. Thom.

super

uper Paulum notauit. Tercio respondet, illam particulam *sine nobis*, non referri ad singulas personas: sed ad statum legis gratiae, ita ut sit sensus, DEVM disposuisse nobis meliorem quandam statum gratiae, ante quem neminem beatificari voluit, sine in anima sua in corpore. Quae responsio non est distincta à prima, sed est veluti consummatio, & declaratio illius, ut idem Caietanus super Paulum intellexit. Duae autem responsiones datae probabiles sunt, neque possunt satis refutari, dummodo asseratur sufficiens fundamentum ad huiusmodi priuilegium asserendum.

Hinc potest quarta ratio formari in fauorem huius sententiae. Quia generalis lex est, ut gloria, & immortalitas corporum non detur hominibus vsque ad generale resurrectionem, ut patet, ex praedictis locis Pauli, & ex illo Apocal. 6. *Dicitur est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur consensu eorum.* Sed à generali scripturae regula non licet exceptionem facere, vel speciale priuilegium asserere sine sufficienti eiusdem scripturae, vel Ecclesiae fundamento: in praesentia autem nullum habemus in scriptura ad asserendum hoc priuilegium. Quia scriptura solum dicit, hos sanctos surrexisse de immortalitate autem, & gloria eorum nihil dicit. Neque ex fine, propter quem habet illa resurrectio, colligi potest, scripturam loqui de resurrectione ad vitam immortalem: sed potius contrarium. Resurgebant enim hi sancti, ut essent testes resurrectionis Christi, non perpetuo, neque ubique, sed breui tempore, & in sancta ciuitate Ierusalem: sed ad hunc finem satis erant, ut resurgerent ad breue tempus, & in corpore mortali, quod ad eum finem erat satis accommodatum, ut possent familiarius manifestari, & loqui cum hominibus. Rursus, neque ex Ecclesiae autoritate habetur hoc priuilegium, quia Ecclesia nunquam hoc docuit, quin potius veteres Patres id negant, ut vidimus.

Quintam coniecturam addere possumus ex verbis illis Iob, Scio quod Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. In quibus duo consideranda sunt: alterum, quod dicit, se suscitandum in die nouissimo, & non antea: alterum, quod loquens de resurrectione Christi, ut iam facta, de sua vero, ut postea futura indicat, resurrectionem suam multo post Christi resurrectionem fuisse futuram. Unde colligitur argumentum, idem credendum esse de quolibet antiquorum Sanctorum. Quia nullus vel pauci existimari possunt digniores hoc priuilegio, quam Iob. Sed haec coniectura, primum expediti potest illis modis quos circa secundam adduximus, ut ostenderemus, non oportuisse hoc priuilegium concedi omnibus, neque sanctioribus, & de Iob est specialis ratio. Quia eius sepulchrum non erat in Ierusalem, nec prope illam, unde resurgere oportebat eos, qui futuri essent testes resurrectionis Christi. Deinde non est necesse, ut per nouissimum diem intelligamus diem iudicii. Nam quodlibet tempus valde distans solet in scriptura ea phrasi significari, & totum tempus gratiae solet appellari tempus nouissimum, potest autem ibi nomen diei indefinite pro tempore accipi. Praeterea etiam si demus Iob loqui de die iudicii (ut videtur magis consentaneum contextui) tamen directè solum dicere intendit, in nouissimo die se esse victurum, & habiturum corpus, quia hoc erat illi certum ac firma fide creditum: an vero tunc primo esset suscitandus, vel fortasse prius ex aliquo priuilegio, hoc non videtur voluisse affirmare, vel negare. Quia neque ad rem, quam tractabat pertinebat, neque videtur necessarium, ut de hac speciale reuelationem habuerit, sine qua nihil de tali priuilegio dicere potuisset.

Sexta coniectura similis praecedenti sumitur ex corpore Ioannis baptistae. Nam si aliquod corpus

excitandum fuisse ad vitam immortalem, maximè Ioannis Baptista, tum propter maximam puritatem, & sanctitatem eius, tum etiam quia eius testimonium foret apud Iudaeos sanè grauisimum: sed constat corpus Ioannis Baptista non resurrexisse ad vitam immortalem, cum reliquiae eius vsque ad Iuliani tempora in Ecclesia summa cum veneratione seruatae sint, & caput vsque ad hanc diem Romae ostendatur. Et haec quidem coniectura magna esse videtur, posset tamen eludi aliquo modo ex dictis in secunda & quinta ratione. Reuocare enim in dubium historiam & traditionem de reliquijs Baptista, neque pium esset, neque antiquitati consentaneum. De qua re legi possunt, quae congerit Canisius lib. 1. de corruptelis Verbi Dei, c. 14.

Ultima coniectura adhiberi solet. Quia si ij Sancti surrexissent ad vitam immortalem, simul cum Christo ascendissent in caelum: hoc autem non est verisimile, alioqui Lucas hoc memoriae prodidisset, dum Dominicam Ascensionem describeret. Multum enim spectabat, tum ad gloriam eius declarandam tum etiam ad nostram fidem, & spem augendam. Haec vero ratio parum cogit. Quia Lucas solum narrat sensibilem (ut ita dicam) Ascensionem Domini, & eas circumstantias, quae oculis cerni potuerunt: hoc autem modo solus Christus visus est ascendere: alij vero (si fortasse cum illo ascenderunt) Apostolis alijsque discipulis non apparuerunt: & ideo sicut non narratur Angelorum, & sanctorum animarum conuictus, ita neque horum sanctorum, qui una cum Christo resurrexerunt, ascensus. Et haec de priori sententia.

Posterior sententia est hos Sanctos surrexisse ad vitam immortalem. Haec solet tribui recentioribus scriptoribus, tamen reuera multi ex antiquis illam docuerunt. Orig. libr. 1. ad Rom. circa illa verba capituli 1. *Ex resurrectione Iesu Christi domini nostri*, dicit Orig. Christum habuisse aliquos participes in primatu resurrectionis, sicut (inquit) illi fuerunt qui cum illo suscitari esse dicuntur, cum monumenta aperta sunt & multa Sanctorum corpora, qui dormierant resurrexerunt, & de his talibus fortasse dicit Apostolus, esse Ecclesiam illam primitiuorum, quam adscriptam memorat in calis. Epip. haec. 75. in fine, cum dixisset reliquias Sanctorum esse in terra, addit exceptio ista, qui resurrexerunt, & ingressi sunt sanctam ciuitatem, quam postea explicat de Ierusalem terrestri, & coelesti. Idem sentit Clemens Alexandrinus, libr. sexto stromat. ante medium. Dicit enim,

corpora eorum, qui cum Christo resurrexerunt in meliorem ordinem esse translata. Idem sentit Iustinus quaestione 85. quamuis in contrarium citari soleat. Ait enim, hos Sanctos non obisse rursus, sed manere in immortalitate: tamen, quia ipse opinatus est vsque ad diem iudicii homines non constitui in statu gloriae, ideo subdit, hos Sanctos non surrexisse ad immortalem, & incorruptibilem vitam: sed expectare donec fiat immutatio, iuxta illud 1. ad Thessal. 4. *Omnes immutabimur*. Videtur etiam hoc sensisse Athanasius, in homil. de semine, dum ait, Christum in inferno non solum se liberum ostendisse: sed etiam mortuorum liberatorem, iuxta illud, *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Idem significat Ambrosius libr. 4. de fide, cap. 1. ubi dicit, *Moysem non fuisse in gloria caelesti, nisi postquam Dominus resurrectionis suae pignore vincula soluit inferni.* Sed ad intelligendum hunc locum Ambrosij recolere oportet, ipsum sensisse, Moysem non fuisse mortuum (ut in superioribus vidimus) & ideo hoc loco dicit, non fuisse gloriam assequutum ante Christi mortem, etiam si mortuus non fuerit. Unde ex hoc loco non potest colligi, Ambrosium sentire aliquem fuisse simul cum Christo excitatum ad vitam immortalem: sed solum Moysem, qui mortuus non fuerat, tunc gloriam accepisse: quando Christus vincula soluit inferni, & Patrum animas eleuauit. Quae

uit. Quæ verbo vltima ponderanda sunt. Nam re-
spectu aliorum non de corporibus, sed de anima-
bus tantum loquitur. Idem vero Ambrosius enar-
ratione in primum Psalmum in fine expresse docet
hanc sententiam, dicens, *Sunt, qui resurrexerunt in
passione Christi, & isti plane beati, quia acceperunt Chri-
sti gratiam, & audierunt vocem eius, de qua scriptum est.
Venit hora quando mortui audient vocem filij Dei, & qui
audierunt, viuent. Et ingressi sunt in sanctam ciuitatem;*
puto quod magis significet illam supernam, quam istam Ie-
rusalem. Eandem sententiam refert, & approbare
videtur Hieronymus, seu Sophronius in sermone, de
assumptione. Vbi in fauorem huius sententiæ pon-
derat verba illa Petri, Act. 2. *Sepulchrum eius est apud
nos: quasi non fuerit ausus dicere corpus eius, sed tantum
Sepulchrum eius.* Idem docet Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus in epistola synodali, quæ
refertur, & probatur in sexta synodo Act. 11. Vbi de
Christo sic loquitur. *Triduanus resurgens de sepulchro
progredditur, & vna secum cunctos mortuos suscitauit ex se-
pulchro; ex corruptione ad immortalitatem eos perducens
per suam resurrectionem ex mortuis.* Idem expresse Eu-
sebius lib. 4. de Demonstrat. cap. 12. *Ipsius (inquit) corpus
mortuorum excitatum est, & multa corpora eorum, qui dor-
mierant, sanctorum resurrexerunt, vnaque cum ipso in san-
ctam, ac vere celestem ciuitatem ingressa sunt.* Potest et-
iam referri Grego. Nyssenus lib. de cognitione Dei,
capit. de Christi resurrectione, vbi (ad hoc propo-
situm tractans illa verba Osee 6. *Sanabit nos post duos
dies, & in tertio suscitabit nos, & viuemus in conspectu e-
ius;* quæ ad præsens applicata de resurrectione ad vi-
tam immortalem intelligantur) subdit. *Hæc autem
dicta sunt ex persona eorum, qui dormierant, quorum cor-
pora cum Christo resurrexerunt tertio die, quo surrexit ipse.*
Rursus adduci potest Cyprianus: seu potius Ruffi-
nus in expositione Symboli, vbi verba illa, *& ingres-
si sunt sanctam ciuitatem,* de illa explicat, de qua Apo-
stolus dicit. *Quæ autem sursum est Ierusalem, libera est,
quæ est mater nostra.* Præterea Remigius super Matthæ.
(quem D. Thom. refert in catena) ex professo quæ-
stionem disputans, post examinationem vtriusque o-
pinionem ita concludit. *Incunctanter ergo credere debe-
mus, quia, qui resurgente a mortuis Domino resurrexerunt,
ascendente eo ad cælos, & ipsi pariter ascenderunt.* Deinde
Beda Matthæ. 27. idem significat, quatenus dicit hos
Sanctos non resurrexisse ante Christum, quia ipse
futurus erat *Primogenitus ex mortuis.* Quæ ratio nil
concluderet, nisi supponeret, eos resurrexisse ad vitam
immortalem. Vnde omnes, qui hac ratione vtuntur
possunt pro hac opinione referri. Insuper addit Be-
da verba illa, *In sanctam ciuitatem posse intelligi de
coelesti Ierusalem.* Quod etiam ibi dicit Hierony-
mus, huic fauens sententiæ. Expressius Anselmus i-
bidem, referens Bedam dicentem, hos Sanctos vna
cum Christo ascendisse in cælum, subiungit. *Neque
vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui
illos postea reuerfos in cinerem dicunt.* Quin etiam D.
Thomas Matthæ. 27. eandem docet sententiam, &
in 4. d. 43. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. Vbi nonnulli Theologi
idem tenent, & alij in 3. distinct. 22. vbi Carthusia-
nus quæstion. 6. Caietan. hic, & super Matthæ. &
Iansenius capitul. 143. Concordiæ, & alij recentio-
res.

Fundamentum huius sententiæ primum sumi-
tur ex verbis Petri Act. 2. de quo testimonio di-
ctum est satis. Secundum ex verbis Euangelistæ, *Et
apparuerunt multis,* quibus significatur, habuisse cor-
pora gloriosa, in quorum potestate est sese manife-
stare, vel occultare. Vnde Hieronymus, *Apparuerunt
(inquit) non omnibus, sed iis, qui cernere merebantur, sic-
ut de Christo dictum est, manifestatum esse non o-
mnibus, sed testibus præordinatis a Deo.* Et D. Thomas
super Matthæ. inquit, *Et apparuerunt multis.* Sicut enim
Christus potestatem habet manifestandi se, quibus vult, ita
est intelligendum de corporibus glorificatis. Quæ conie-

ectura est probabilis, tamen sicut in transfiguratione
Moyse dicitur apparuisse Christo, & discipulis,
quantuis resurrexerit tunc in corpore mortali, ita
dici potest de his, qui cum Christo resurrexerunt. Qui
etiam potuerunt accipere virtutem se occultandi,
vel manifestandi, quibus vellent, etiam si non habe-
rent corpora gloriosa, sicut Christus Dominus hanc
virtutem habuit in statu mortali. Tercio probatur
hæc sententia. Quia, vt ij Sancti essent testes resurre-
ctionis gloriose, & immortalis, omni exceptione
maiores, decuit eos ad immortalem vitam resurge-
re. Hæc vero ratio valde est infirma, tum quia isti
Sancti non ostendebant ijs, quibus apparebant, suo-
rum corporum gloriam & immortalitatem, ita vt
ex proprietates sensibus perciperentur. Quia resurre-
xit Christus Dominus post resurrectionem ita appare-
bat, quin potius, vt probaret veritatem suæ resurre-
ctionis, exercebat ea, quæ communia sunt corpori
mortali, in cibo nempe, potu, & contactu. Si ergo
gloria, & immortalitas corporum non erat sensibus
obiicienda, nihil interesse poterat ad veritatem tes-
timoniij. Nam, licet ipsi dicerent se surrexisse ad vi-
tam immortalem, hoc fide credendum esset: ergo
eodem modo credendum esset illis prædicantibus
Christum surrexisse gloriosum, etiam si illi non eo
modo surrexisse, nec de se idem prædicassent.
Quarta coniectura, quia his hominibus maior fuisse
pena post resurrectionem iterum mori, quam si
nunquam ad vitam rediissent. Quæ ratio etiam mi-
hi displicet. Nam in primis ij non resurrexerunt pro-
pter vitandam penam aliquam: sed ad testimoniũ
Christo reddendum. Deinde deponere illa corpora
ex Dei voluntate nullum esset tormentum, aut pæ-
na: sicut nec Moyse fuit, iterum corpus deponere
postquam in transfiguratione resurrexit, ac suo mi-
nere functus est. Nam sicut ille tantum assumpsit
corpus ad testimonium Christo reddendum, ita &
ij. Quin potius (si verum est illa corpora fuisse mor-
talia) gratius fuit ijs Sanctis iterum illa deponere,
quam in eo statu illa retinere. Quinta coniectura est
quia decuit, vt Christus corpore, & animo constans
haberet aliquos socios gloriæ, corpore etiam, ani-
moque constantes, præsertim cum delicia eius sunt, *esse cum filio hominum.* Sexta addi potest. Quia, cum
iam sicut in inferno aliqui homines corpore, & ani-
mo ante generalem resurrectionem damnatorum
vt Dathan & Abiron, & similes, ad ostensionem di-
uine misericordiæ & copiosæ redemptionis Christi
spectabat, vt aliqui etiam essent beati corpore, & ani-
mo. Vltima, & valde probabilis congruentia esse
potest. Quia animæ gloriose connaturale est vniri
corpori immortalis, ac glorioso. Vnde quod Chri-
stus habuerit gloriosam animam in corpore morta-
li, miraculose & ex speciali dispensatione factum est.
Sed animæ horum sanctorum, qui cum Christo sur-
rexerunt, erant iam beatæ, ergo non fuerunt vnitæ
nisi corporibus gloriosis, & immortalibus. Alioquin
ex natura rei possent in corporibus pati, & inle-
mentiam aeris, frigoris, aut caloris sentire, quod
non decebat animas sanctas, quæ iam omnino e-
rant in termino & non in via sicut erat anima Chri-
sti quando fuit in corpore mortali. Quod si necesse
est concedere speciale miraculum, & exceptionem
ab aliqua generali regula: verisimilius creditur facta
tribuendo gloriam aliquibus corporibus ante ge-
neralem resurrectionem, quam vniendo animabus
beatis corpora minus apta, & commoda statui bea-
torum. Quocirca omnibus pensatis hæc sententiæ
videtur verisimilior. Nam & maiori autoritate niti-
tur & est magis consentanea, tum rebus ipsis, tum
diuinae misericordiæ, & pietati, & glori-
am Christi magis illu-
strat.